Oeri, Johann Jacob
De responsionis apud Aristophanem rationibus atque generibus



De
responsionis apud Aristophanem
rationibus atque generibus.

scr.

Jacobus Oeri.

HERMANNO · HAGEN

THEODORO · PLVESS

EDVARDO · SINGEISEN

IOANNI · WIRZ

ARTISSIMA AMICITIA SIBI CONIVNCTIS

D. D. D.

SCRIPTOR

Bonnae.
1865.

PRAEFATIO.

Tragicos Graecos in diverbiis componendis saepissime certam quandam singularum partium aequabilitatem sectatos esse multorum virorum doctorum opera tam luculente demonstratum esse mihi videtur, ut paucos esse credam, qui perlectis quae de hac re scripta sunt, etiam nunc litteras nostras ullos ex eius pervestigatione fructus adeptas esse negent. Sed cum harum quaestionum non solum per se difficilis sit tractatio — quippe quae in artis criticae partibus versetur valde lubricis —, sed propterea multo etiam impeditior, quod de diverbiorum responsionibus (quo vocabulo brevitatis causa uti mihi liceat) nulla, de universa autem arte scaenica perpauca ad nos pervenerunt veterum testimonia, tam variae atque fluctuantes plurimorum de concinnitate illa a nostratium arte plane aliena nunc sunt opiniones, ut quam maxime desideretur, qui ex omnibus, quae aetatem tulerunt omnium tragicorum tragoediis, quae huc pertineant, colligat atque ad suum quaeque ordinem redigat. Tunc demum in opinionum illarum locum certum atque stabile succedet iudicium.

Quod autem in tragoedia a multis tractatum et praeparatum, sed ad finem nondum perductum est, id in comoedia usque ad hoc tempus miro modo neglectum iacuit. Quamvis enim luce clarius sit, non solum ad Aristophanis artem, sed in universum ad eas, quas scaenici poetae in diverbiorum compositione secuti sint, leges cognoscendas id perquirendum esse, num comica quoque Musa vestem sibi ad illam concinnitatis normam aptari passa sit, pauci tamen extiterunt, qui huc animum attenderent, neque hi nisi obiter de Aristophaneis locuti sunt responsionibus excepto uno Helbigio.

Quorum primus fuit Godofredus Hermannus, qui in element. doctr. metr. p. 723 postquam de ea quae in parabasi inveniretur rhematis egit atque epirrhematis responsione: 'Non autem in sola parabasi', inquit, 'hac repetitiones usurpatae fuerunt, sed multae etiam aliae partes comoediarum eaeque interdum longissimae aequali metrorum comparatione sibi respondent. Ut in Avibus ubi a v. 551 primo stropha, deinde tres et sexaginta tetrametri anapaestici sunt, quorum in fine systema positum est ex dimetris anapaesticis eaque metra deinde omnia eadem lege repetuntur a v. 626'. Quo exemplo manifestum est, tetrametrorum significare Hermannum responsiones, sed cum multas comoediarum partes aequali metrorum comparatione sibi respondere dicat alias quoque atque illas eum iam sensisse probabile fit similibus obnoxias esse legibus.

Postquam eodem fere quo Hermannus haec scripsit tempore Reisigius quoque in coniectaneis p. 203 de simili in Lysistrata responsione locutus est, per longam annorum seriem nihil novi de responsionis apud Aristophanem usu prolatum est, nisi quod Engerus ad Lysistratae v. 532 Reisigii hanc responsionem denuo examinavit, donec Sauppius ad hanc quaestionem accessit. Qui cum in epistola cri-

tica p. 116 Hermannum saepius de aequabili numerorum in diverbiis distributione locutum esse commemoret, ipse respecta hac concinnitate Equitum loco qui est post v. 273 succurrere studet. Est autem haec de qua Sauppius loquitur concinnitas plane diversa ab ea quam in elementis doctr. metr. Hermannus apud Aristophanem inveniri demonstraverat numerorum aequabilitate; is enim totas scaenas versuum numero sibi respondere dixerat, Sauppius in una eademque scaena versus ostendit inter singulas personas aequabiliter distributos.

Quorum virorum ingenio postquam velut muri veteris aedificii terra obruti reperti sunt, mirum est, diu neminem ad interiores partes eruendas sese applicuisse. Viginti enim demum post epistolam criticam scriptam annis Wolfgangius Helbig eadem qua Hermannus Reisigiusque olim via ingressus in Avibus, Equitibus, Lysistrata, Nubibus diverbia satis longa tetrametris versibus composita, quae strophica chori carmina praecederent, systemata sequerentur, versuum numero inter se congruere intellexit atque in novi musei Rhenani t. XV. (1860), p. 251—64 ita demonstravit, ut nunc, licet de singulis quibusdam dubitari debeat, de universa tamen re nulla amplius sit dubitatio.

Otto Ribbeck denique in dissertatione, quam: 'Die symmetrische Composition in der antiken Poesie' inscriptam in novo museo Helvetico t. I, p. 213 publici iuris fecit, Xanthiae in Vespis de Philocleone orationem aequabilibus ex parte articulis constare monuit.

Ego nunc de omnibus Aristophaneae responsionis generibus loquendum mihi proposui, sed ita, ut certa cuiusque generis exempla colligerem, minus certa autem relinquerem; incipiamque ab iis responsionibus, quae versuum efficiuntur aequabili distributione; quas ubi una cum orationibus ex aequabilibus articulis compositis in altero capite tractavero, in tertio de maioribus loquar comoediarum

partibus, ubi haec inveniatur numerorum concinnitas, praecipue autem de trimetris, in quibus similes atque in tetrametris extent responsiones. Sed ante omnia in primo capite de textus corruptelis mihi erit dicendum, qua in re si ita versatus esse videbor, quasi nulla esset responsio, satis habebo.

Capvt I.

Antequam de ipsis agam responsionibus, textu Aristophanis ita opus erit constituto, ut neque interpolationes neque lacunae nos sint offensurae. Neque tamen in animo est, quae alii iam dudum probaverunt, ea denuo nunc edisserere, sed ibi tantum argumenta sive aliorum sive mea addam, ubi aut a Meinekii recessero editione aut Hamakerus Helbigiusve mihi erunt impugnandi aut ipse denique novandum aliquid indicavero; ceteros locos fusius non tractabo, sed sufficere puto, si ubi et a quo primum tractati sint, indicavero. Versus autem de quibus agitur hi sunt:

Acharnensium v. 722 ἐφ' ᾧτε πωλεῖν πρὸς ἐμέ, Λαμάχῳ δὲ μή delevit Elmsleius.

V. 803 τί δαί; σῦκα τρώγοις ἂν αὐτός; — κοῒ κοΐ delevit Bentleius. Qui nescio, ubi de hoc versu egerit, sed vide eius argumenta in Dindorfii editione Oxoniensi vol. III, I, p. 423.

V. 905 ὥσπερ κέραμον ἐνδησάμενος — νεὶ τὼ θιώ del. Dobraeus (Advers. II, 191).

V. 928 ὥσπερ κέραμον ἵνα μὴ καταγῇ φορούμενος del. idem (Porsoni Aristoph. p. 119, Dobr. adv. II, 192).

V. 1064 οἶσθ' ὡς ποιεῖτε τοῦτο; τῇ νύμφῃ φράσον del. Meinekius (cf. vindicias Aristophaneas p. 19).

Equitum v. 114 *τὸν νοῦν ἵν' ἄρδω καὶ λέγω τι δεξιόν*, quem in versione omiserat Wielandius delevit Meinekius.

V. 215 *ἅπαντα καὶ τὸν δῆμον ἀεὶ προςποιοῦ*, qui non est in Ravennate libro recte suspectat Kockius, quia multo plus simplicitatis sine eo habeat sententiarum coniunctio.

V. 219 *ἔχεις ἅπαντα πρὸς πολιτείαν ἃ δεῖ* Bergkius cancellis fortasse includendum dicit. Et suo ille quidem iure. Nam postquam v. 217 *τὰ δ' ἄλλα σοι πρός-εστι δημαγωγικά* praecessit, non solum plane supervacanea sunt haec verba sed foede quoque artium demagogicarum divellunt enumerationem, quae versibus 218 et 220 continetur; vaticinia enim atque oracula non minus inter *τὰ δημαγωγικά* numeranda sunt quam turpis vox, obscura origo, forensis usus.

V. 227, 228 *καὶ τῶν πολιτῶν οἱ καλοί τε κἀγαθοί*
καὶ τῶν θεατῶν ὅστις ἐστὶ δεξιός
spurios esse amicus meus mihi persuasit Albertus de Bamberg Languet enim longa omnium qui auxilium insiciario laturi sint enumeratio, neque equites recte a civibus neque cives a spectatoribus secernuntur.

Ante v. 274 *καὶ κέκραγας ᾧπερ ἀεὶ τὴν πόλιν καταστρέφει* unius versus lacunam, v. 275 autem Cleoni tribuendum esse demonstravit Sauppius in epistola critica p. 116.

V. 339 *ἀλλ' αὐτὸ περὶ τοῦ πρότερος εἰπεῖν πρῶτα διαμαχοῦμαι*
delevit Dindorfius (ed. Oxon. III p. 254).

Ante v. 337 *ἐὰν δὲ μὴ ταύτῃ γ' ὑπείκῃ, λέγ' ὅτι κἀκ πονηρῶν* chori unus excidisse mihi videtur, quod nullum nunc extat enuntiatum, cui *ἐὰν δὲ μὴ ταύτῃ γ' ὑπείκῃ* oppositum sit.

Ante v. 392 *κᾆτ' ἀνὴρ ἔδοξεν εἶναι, τἀλλότριον ἀμῶν θέρος*
duos versus excidisse vidit Helbigius (Mus. Rhen. 1860, XV, p. 254).

Iambica quae versibus 367—381 et 441—456 continentur systemata, quam maximis laborant difficultatibus, sed sanari tamen poterunt, si modo haec duo semper tenueris: primo, in priore systemate stichomythiam usque ad v. 374 obtinere, in altero autem usque ad. v. 448 binos ab adversariis pronuntiari semper versus, tum, in illo minis ex sua ipsius arte petitis adversariorum unum in alterum invehi neque insiciario, quae ad coriarii neque Paphlagoni quae ad coqui artem spectent, utendum esse vocabulis, in hoc utrumque causas publicas alteri indicere. — Quod cum ita sit, interpolatori v. 367 *οἷον σε δήσω 'ν τῷ ξύλῳ* tribuendus esse mihi videtur; *δεῖν ἐν τῷ ξύλῳ* enim nonnisi codice aliquem torquere significat, quod neque coriario neque coquo nunc est dicendum; neque minus, quod Bergkio iam displicuit *οἷον* me offendit versus initio positum, quasi plures torquendi gradus essent distinguendi. (Wie sehr will ich dich in den Block legen.) Itaque grammatici hunc versum esse puto, qui cum systematis nostri lacunas explendas sibi proposuisset, codice Cleonem saepe contra inimicos uti e v. 394 *ἐν ξύλῳ δήσας ἀφανεῖ κτα.* didicerit.

Eiusdem est v. 368 *διώξομαί σε δειλίας*, non enim in hoc sed in altero systemate talibus invicem minis utuntur adversarii.

Secuntur vv. 396—371 *ἡ βύρσα σου θρανεύσεται*
δερῶ σε θύλακον κλοπῆς
διαπατταλευθήσει χαμαί,

quorum primus tertiusque Paphlagoni, medius insiciario vulgo assignatur. Qui quin omnes a poeta Cleoni tributi sint nemo dubitabit, qui coriario non coquo coria praeparanda esse reputarit; proprie tamen eos non cohaerere inde intellegitur, quod non asyndetos oratio sed stichomythia loco nostro convenit. — Et secundum quidem versum *δερῶ σε θύλακον κλοπῆς* in tertium locum trans-

ponendum esse cum propterea credo, quod coria paxillis primum in solo extendi, inde demum certo usui destinari naturae rerum convenit, tum quod insiciario, postquam quid Cleo de se fieri vellet, audivit, continuo, quid ipse in illum statuerit profitendum est, ita ut v. 372 *περικόμματ' ἐκ σοῦ σκευάσω* ne unius quidem versus intervallo a nostro seiungi possit.

Restant igitur duo Cleonis versus (369, 371), quos unum insiciarii dimetrum antecessisse necesse est, quia ut Helbigius vidit (p. 255) insiciarii ad v. 365 desideratur responsum et quia Cleo vix ex activo loquendi genere (*ἐξέλξω σε*) ad passivum (*ἡ βύρσα σου θρανεύσεται*) transiret nisi longiore intercedente spatio; singulos autem post hos quoque insiciarii excidisse versus, facile e stichomythica systematis perspicietur indole, quod usque ad v. 372 sic ordinandum mihi videtur:

Ἀλλαντοπώλης ⏑ ⏑́ ⏑ — ⏑ ⏑́ ⏑ —
Παφλαγὼν *ἡ βύρσα σου θρανεύσεται*
Ἀλλ. ⏑ ⏑́ ⏑ — ⏑ ⏑́ ⏑ —
Παφλ. *δια πατταλευθήσει χαμαί*
Ἀλλ. ⏑ ⏑́ ⏑ — ⏑ ⏑́ ⏑ —
Παφλ. *δερῶ σε θύλακον κλοπῆς*
Ἀλλ. *περικόμματ' ἐκ σοῦ σκευάσω.*

Neve quis insiciarii ter intercidisse dicta miretur; quae facile fieri potuit ut in Aristophanis archetypo iisdem cum Cleonis responsis versibus comprehensa una paginae parte extincta perderentur.

Alterum de quo agitur systema (441—456) multo minus est corruptum, mendis tamen ne hoc quidem vacat. Primum enim recte Bergkius vidit v. 441 *τὸ πνεῦμ' ἔλαττον γίγνεται* non insiciario tribuendum sed Demostheni continuandum esse idemque recte dubitavit, num Demosthenis oratione dimetri possint inchoari. Sed egregie errat

vir doctissimus pro proximi hemistichii dittographia haec verba habens. Immo *ἀνὴρ ἂν ἡδέως λάβοι* prorsus absone dictum esset ab insiciarii amico, qui suam ipsius rem proderet, si insiciarium libenter Paphlagonis escam capturum effutiret. Qua de causa ultimus tetrameter sine dubio scribendus mihi videtur:

τὸ πνεῦμ' ἔλαττον γίγνεται, τοὺς τερθρίους παρίει.

In v. 441 post *φεύξει γραφάς* unam excidisse dipodiam recte intellexerunt Bergkius, Kockius, Meinekius.

V. 679 *ἀποροῦσιν αὐτοῖς προῖκα κἀχαριζόμην* delendum puto ut plane supervacaneum; ne enim *ἐχαριζόμην* quidem quicquam habet novi, si quidem in v. 676 cum omnibus praeter Ravennatem codicibus *ὑποδραμών* scribendum est; de qua re vide Alberti de Bamberg de Ravennate et Veneto Aristophanis codicibus dissertationem p. 16 sqq.

In. v. 1036 *ὦ τᾶν ἄκουσον, εἶτα διάκρινον τότε* recte Meinekius vidit *τότε εἶτα* particulae subiectum esse non posse, sed quod in vindiciis Aristophaneis p. 64 proposuit vir egregius, ut *τόδε* pro *τοτέ* scriberetur, zeugma efficere mihi videtur vix tolerabile. Ego scriptoris potius errore e duobus versibus unum factum esse locumque hoc fere modo restituendum putaverim.

ὦ τᾶν ἄκουσον, εἶτα διάκρινον, σὺ γὰρ
πάντων ἀπόρρωξ ἂν κριτῶν κλύοις τότε.

Post v. 1203 *τὸ μὲν νόημα τῆς θεοῦ τὸ δὲ κλέμμ' ἐμόν* unum Cleonis excidisse, verba autem *ἐγὼ δ' ἐκινδύνευσ'* insiciario, *ἐγὼ δ' ὤπτησά γε* Cleoni tribuenda esse Bergkius vidit.

V e s p a r u m vv. 74—84 vulgo inter Xanthiam Sosiamque distribuuntur, sed ego cum Hamakero potius scholiastam sequar ad v. 75 dicentem: *τινὲς ἀμοιβαῖα· χαριέστερον δὲ λέγεσθαι αὐτὰ συνεχῶς πρὸς ἑνός* (cf. Mnemosynae t. III, p. 39).

V. 135 ἔχων τρόπους φρυαγμοσεμνακουστίνους recte a Meinekio post v. 110 transpositus est (cf. vind. Ar. 25).

V. 712 νῦν δ' ὥσπερ ἐλαολόγοι χωρεῖθ' ἅμα τῷ τὸν μισθὸν ἔχοντι

ab interpolatore Bdelycleonis orationi adiectus est. Qui enim sunt hi ἐλαολόγοι, de quibus nihil notum est nisi quod scholiasta ex ipso nostro loco colligit? Cur hi mercedis magis quam alii cupientes sint? Sed ut largiar pulcherrimas quasdam in hoc versu latere facetias, id concedere non possum, huic eas loco convenire. Eius enim qui praecedit versus ἄξια τῆς γῆς ἀπολαύοντες καὶ τοῦ Μαραθῶνι τροπαίου, quo quam maxime veteris cives dignitatis commonefacere voluit poeta tota infringitur vis, si hunc retinemus propterea plane supervacaneum, quia praesentes res iis quales esse deberent ante iam (698—705) oppositae sunt.

V. 842 κατηγορήσειν ἤν τις εἰσάγῃ γραφήν

recte ab Hamakero (Mnem. III, 196) interpolatori tributus est, quia accusatio semper thesmothetae antecedit γραφῆς εἰσαγωγήν.

V. 903 πάρεστιν οὗτος. — ἕτερος οὗτος αὖ Λάβης ab eodem (ibid. III, 199) eiectus est quia utrique cani Labes nomen esse nequit.

V. 1140 ἔγνως γὰρ ἄν· νῦν δ' οὐχὶ γιγνώσκεις. — ἐγώ;
μὰ τὸν Δί' οὐ τοίνυν·

Hamakero offensionem praebuit (Mnem. V, 1), quod langueret quodque ἐγώ; talia tantum praecedere soleret responsa, qualibus negaretur aliquid. Quae cum mihi quoque displiceant, v. 1140 tamen non delendum puto, quia mutata interpunctione optime scribi potest:

ἔγνως γὰρ ἄν· νῦν δ' οὐχὶ γιγνώσκεις; — ἐγὼ
μὰ τὸν Δί' οὐ τοίνυν.

V. 1239 *τούτῳ τί λέξεις σκόλιον; — ᾠδικῶς ἐγώ* ab Hamakero Meinekioque deletus est. (Mnem. V. 2).

V. 1251 *παῖ παῖ, τὸ δεῖπνον Χρυσὲ συσκεύαζε νῷν* spurius est. Nullus enim Philocleoni Bdelycleonique adest puer neque si adesset coenam parare iuberetur, quia non domi illi manent sed ad convivium in Philoctemonis domo celebrandum ituri sunt.

V. 1260 *αἰσωπικὸν γέλοιον ἢ συβαριτικόν* ab Aristophane alienus est. Aesopicas enim Sybariticasque fabulas in optimatium, quales Antipho Phrynichique amici fuerunt conviviis non mos erat narrare neque ut eas narret patri praecipere potest filius, sed id monet eum, ut, si quid offenderit, in risum rem vertat, salibus usus urbanis, quales ab illis didicisset. Haec autem praecepta minime sequitur Philocleo sed eorum qui convivis placent loco sermonum fabulas illas quas inde a sua iuventute novit, cum compotoribus tum mulieri postea panum venditrici accusatorique narrat ob eamque rem vv. 1320,21 a Xanthia vituperatur.

V. 1387 *νὴ τὸν Δί' ἐξέμαθές γε τὴν Ὀλυμπίαν.* ab Hamakero (Mnem. V, 2) Meinekioque deletus est.

V. 1395 *ὥστ' οἶδ' ὁτιὴ ταύτῃ διαλλαχθήσομαι* ex margine, ubi a docto lectore ex alia fabula ascriptus fuerit irrepsisse arbitratur Meinekius (vind. Aristoph. p. 35). Ego interpolatori potius eum tribuerim, qui ad versus 1421 *ἐγὼ μὲν οὖν αὐτῷ διαλλαχθήσομαι* exemplum eum fecerit in eoque qui antecedit versu 1394 pro *αὐτά* quod Hamakero (Mnem. V. 3) iam offensionem praebuit scripserim:

λόγοι διαλλάξουσί μ' αὐτῇ δεξιοί.

V. 1432 *οὕτω δὲ καὶ σὺ παράτρεχ' ἐς τὰ Πιττάλου* ubi vulgo legeretur, scilicet post Sybaritae qui e curru cecidit historiam locum non habere primus vidit Hamakerus (Mnem. V, 3), sed idem cum post v. 1439 eum ponat non

recte facit. Cum enim Philocleonis nihil inter sit, sanetur necne vulneratum accusatoris caput, id unum *μαρτύρομαι* clamanti Sybaritidis, quae echinum fregerit, historia probare studet, melius eum facturum fuisse, si clamandi loco vincturam emisset, cur vero, ut a medico auxilium petat ei suadeat, non habet: quod etiamsi faceret, *παράτρεχε* tamen, quasi ad se hostem vocaret nunquam diceret, sed *τρέχε* vel *ἀπότρεχε* ei esset dicendum. Itaque hunc quoque versum interpolatoris esse puto, qui ex Acharnensium v. 1032 *οὐκ ἔστιν, ἀλλὰ κλᾶε πρὸς τοὺς Πιττάλου* doctrinam suam hauserit.

Pacis versus 217 et 218:

ἐλέγετ' ἂν ὑμεῖς εὐθύς· ἐξαπατώμεθα
νὴ τὴν Ἀθηνᾶν, νὴ Δί' οὐχὶ πειστέον

corruptela laborare primus vidit Bergkius scripsitque: *ἐλέγετ' ἂν ὑμεῖς νὴ Δί' οὐχὶ πειστέον.* Quae mutatio melius mihi placet ea quam Meinekius in editione Aristophanis itemque in vindiciis nuper proposuit (p. 40) scilicet ut in altero versu scriberetur *νὴ τὴν Ἀθηναίαν. μὰ Δί' οὐχὶ πειστέον;* (minime enim iuramenta accumulata loco nostro convenire puto) sed nescio, cur Bergkius *εὐθύς* deleverit, *νὴ Δί'* (ante *οὐχί*) retinuerit; mihi quidem:

ἐλέγετ' ἂν ὑμεῖς εὐθύς· οὐχὶ πειστέον

multo elegantius dictum videtur eiectis supervacaneis affirmationibus.

Vv. 240 et 241 *ἆρ' οὗτος ἔστ' ἐκεῖνος ὃν καὶ φεύγομεν,*
ὁ δεινός, ὁ ταλαύρινος, ὁ κατὰ τοῖν σκελοῖν

ab interpolatore ex Archanensium versibus 964 et 965:

ὁ δεινός, ὁ ταλαύρινος, ὃς τὴν γοργόνα
πάλλει κραδαίνων τρεῖς κατασκίους λόφους.

inepte descripti sunt. Neque enim *ταλαύρινος* epitheton coquo convenit, qualis est Polemus et *ὃν καὶ φεύγομεν* quam maxime languet; quam moleste autem binorum versuum vicissitudines v. 232 usque ad v. 249 perductae his ver-

sibus interrumpantur, omnes intellegent, quibus huius rei non deest sensus. Quod cum ita sit, *ὁ κατὰ τοῖν σκελοῖν* tamen ne interpolatorem quidem scripsisse credo, sed puto eum ad Acharnensium loci exemplum *ὁ κατασκιολόφος* vel simile quid scripsisse.

V. 273 *ἢ πρίν γε τῶν μυττωτὸν ἡμῖν ἐγχέαι* Dindorfius (ed. Oxon. III. 2, 547) Meinekiusque deleverunt.

V. 824 *ὦ δέσποθ' ἥκεις; — ὡς ἐγὼ πυθόμην τινός* lacunosum esse recte in praefatione iudicavit Meinekius. Quod si ita se habet, post vernae *ὦ δέσποθ' ἥκεις;* Trygaei oratio excidisse putanda est, quae verbis *ὡς ἐγὼ πυθόμην τινος* finita fuerit.

Post v. 959 recte Engerus in recensione Pacis a Richtero editae, quam huius anni inseruit Iahnii annalibus, unum versum excidisse dixit, cuius haec fere sententia viro docto fuisse videtur: *σὺ δὲ νῦν κατὰ χεῖρα μοι κατάχει τὴν χέρνιβα.*

V. 964 *τούτων ὅσοι πέρ εἰσι τῶν θεωμένων*

plane supervacaneus ob eamque causam fortasse delendus est.

V. 1218 *ἵν' ἀποκαθαίρω τὴν τράπεζαν τουτῳί*

recte deleverunt Hamakerus (Mnem. V, 152) Meinekiusque.

Avium v. 1343 *ἐρῶ δ' ἔγωγε τῶν ἐν ὄρνισιν νόμων* Aristophanis grammatici esse tradit scholiasta cf. Hamakerum in Mnem. III, 14.

V. 1446 *λόγοισι τἄρα καὶ πτεροῦνται; — φημ' ἐγώ* itemque v. 1542

ἅπαντα τἄρ' αὐτῷ ταμιεύει; — φημ' ἐγώ

recte Meinekius in Vindiciis p. 114 interpolatori tribuit.

Post Lysistratae v. 475 duos senum excidisse septenarios iambicos recte contendit Helbigius (p. 259).

V. 531 *περὶ τὴν κεφαλήν; μή νυν ζώην. — ἀλλ' εἰ τοῦτ' ἐμπόδιον σοι*

non in duos secandus est dimetros ut volunt Engerus Meinekiusque (cf. vind. p. 126), sed unus est tetramenter; quod autem sequitur systema, ei duo tantum desunt versus, scilicet Lysistratae post v. 534 κᾆτα σιώπα versus paroemiacus, atque mulieris A post hunc dimeter.

V. 570 διενεγκοῦσαι διὰ πρεσβειῶν τὸ μὲν ἐνταυθὶ τὸ δ' ἐκεῖσε

spurium esse intellexit Helbigius (p. 257).

V. 598 ἀλλ' ὅστις ἔτι στῦσαι δυνατός —

non Aristophanis est; is enim tam ineptis qualis haec est, aposiopesibus uti non solet, sed personas ad finem perducentes facit quas conceperunt sententias. Hunc autem versum si delemus, plane concinna evenit Lysistratae oratio, quae postquam de puellarum indigna sorte locuta est, quid probulus mercatur in systemate ostendit.

V. 600 χωρίον ἔσται· σορὸν ὠνήσει

plurimas viris doctis praebuit difficultates. Et alteram quidem eius partem (σορὸν ὠνήσει) recte Helbigius delevit (p. 261), prior nondum satis emendata est. Quod enim Elmsleius (ad Acharnensium v. 788) proposuit atque Dindorfius, Engerus, Meinekius in textum receperunt χοιρίον ἔσται propterea mihi displicet, quia nostro loco non ut in Pacis vv. 374, 75 de homine inferorum deorum sacris agitur imbuendo. Qua coniectura cum cetera virorum doctorum proposita minus etiam probabilitatis habere mihi videantur, sic fere scribendum puto:

σὺ δὲ δὴ τί παθὼν οὐκ ἀποθνήσκεις;
χόριον[δέξει]·[1]) καὶ δὴ μάξω
μελιτοῦτταν ἐγώ.
λαβὲ ταυτὶ καὶ στεφάνωσαι.

χόρια enim secundum Athenaeum (XII, p. 516, E) Hesy-

1) Quid pro ἔσται scribendum sit, nunc quidem nescio, δέξει enim non satis mihi placet.

chiumque sunt *βρώματα διὰ μέλιτος καὶ γάλακτος γιγνόμενα* (cf. Aristoph. fr. 302, 5; 476, 4) ideoque bene cum placenta mellita inferiis instituendis adhiberi poterunt; *καὶ δὴ μάξω* autem cum propter simplicem quam in systematis poeta sequitur verborum positionem ante *μελιτοῦτταν ἐγώ* ponendum sit, tum maxime, quod paroemiaci saepissime ipsos excipiunt monometros, raro intercedentibus versibus ab iis seiuncti sunt.

Ante v. 1018 *ὡς ἐγὼ μισῶν γυναῖκας οὐδέποτε παύσομαι* unius versus a senibus pronuntiati lacunam esse e *ὡς* primo versus loco posito manifestum fit, quod quo referendum sit, nunc non invenitur.

Thesmophoriazusarum vv. 491—501:

οὐδ' ὡς ὑπὸ τῶν δούλων τε κὠρεωκόμων
σποδούμεθ', ἢν μὴ 'χωμεν ἕτερον, οὐ λέγει·
οὐδ ὡς ὅταν μάλισθ' ὑπό του ληκώμεθα
τὴν νύχθ', ἕωθεν σκόροδα διαμασώμεθα
ἵν' ὀσφρόμενος ἀνὴρ ἀπὸ τείχους εἰσιὼν
μηδὲν κακὸν δρᾶν ὑποτοπῆται. ταῦθ' ὁρᾷς
οὐπώποτ' εἶπεν. εἰ δὲ Φαίδραν λοιδορεῖ,
ἡμῖν τί τοῦτ' ἐστ; οὐδ' ἐκεῖν' εἴρηκέ πω
ὡς ἡ γυνὴ δεικνῦσα τἀνδρὶ τοὔγκυκλον
ὑπ' αὐγὰς οἷόν ἐστιν, ἐγκεκαλυμμένον
τὸν μοιχὸν ἐξέπεμψεν, οὐκ εἴρηκέ πω

non una cum cetera Mnesilochi oratione factos sed postero tempore a poeta eo quo nunc sunt loco collocatos esse, e v. 502 *ἑτέραν δ' ἐγᾦδ' ἣ 'φασκεν ὠδίνειν γυνή* colligo. *ἑτέραν* enim recte dici potest, si de una pluribusve in praecedentibus dictum est mulieribus, sin vero de omnibus non *ἑτέραν* expectatur sed *μίαν*. Quod cum ita sit, historiam quam de se ipso narrat Mnesilochus eamque quam de alia refert muliere cohaesisse olim puto.

Vv. 519. 20 *ἴθι νυν φράσον πρώτιστα ταῖς ὀρχηστρίσιν*
ταῖς ἔνδον οὔσαις αὐτὸς ὅτι εἰσέρχομαι

ab Hamakero (Mnem. VI, 214) Meinekioque (vind. Aristoph. p. 166) deletus est.

V. 567 *ὅδ' ᾤχετ' ἐξάξας γε τὰς ψιάθους λαβών* interpolatori tribuendus est. Neque enim cur tam festinanter Hercules abierit neque cur stragula secum abstulerit intellego; quam maxime autem movet me, ut ab Aristophane hunc versum abiudicem, Xanthiae quod sequitur dictum *καὶ τοῦτο τούτου τοὔργον*. Quod cum turpiter langueat, si ad nostrum refertur versum, tum lepidissime dictum est, si ad verba: *νὼ δὲ δεισάσα γέ που ἐπὶ τὴν κατήλιφ' εὐθὺς ἀνεπηδήσαμεν*. Furiosa enim copa Herculi non solum quae ipse commiserit sed, suam quoque fugam crimini facit; quod ridens Xanthias simulque Bacchum criminans: 'Hoc quoque', inquit, 'huius est crimen'.

V. 570 *σὺ δ' ἐμοί γ' ἐάνπερ ἐπιτύχῃς Ὑπέρβολον* ab Hamakero (Mnem. VI, 215) Meinekioque deletus est.

V. 574 *ἐγὼ δέ γ' ἐς τὸ βάραθρον ἐμβάλοιμί σε* ab iisdem damnatus est (Mnem. VI, 216).

Vv. 1120. 21 *ὅπως τὸ πρῶτον τῆς τραγῳδίας μέρος*
πρώτιστον αὐτοῦ βασανιῶ τοῦ δεξιοῦ

cum prorsus nihil contineant, quod non in v. 1119 *καὶ μὴν ἐπ' αὐτοὺς τοὺς προλόγους σου τρέψομαι* legatur in suspicionem vocandos puto. Neque enim assequor, cur Euripides ad Aeschylum primum conversus dicat *ἐπὶ τοὺς προλόγους σου*, inde autem quasi de eo loquatur tertiae utatur personae pronomine (*αὐτοῦ τοῦ δεξιοῦ*).

V. 1122 *ἀσαφὴς γὰρ ἦν ἐν τῇ φράσει τῶν πραγμάτων* recte a Meinekio deletus est (vind. Arist. p. 175).

Idem vv. 1133—36 interpolatoris esse vidit (Vind. Aristoph. p. 175).

Pluti v. 806 *οὕτω τὸ πλουτεῖν ἐστιν ἡδὺ πρᾶγμα δή* a Bentleio e textu remotus est (annot. ad Plutum, cf. Invernizii ed. III, p. 428).

Capvt II.

Quae apud tragicos poetas inveniuntur responsiones eae aequabili praesertim versuum efficiuntur inter singulas personas distributione. Quam consulto eos captasse, minime autem insperata quadam Apollinis liberalitate accepisse eo iam probabile fit, quod apud Aristophanem qui non minor sane fuit Euripide poeta in senariis iambicis paene nulla est. Unde colligi potest, Euripidem ad augendam tragicae orationis pompam hoc adminiculo usum esse, Aristophani propter liberius solutiusque dicendi genus opus eo non fuisse. — Et sunt quidem loci, ubi nostrum quoque hanc aequabilitatem haud aspernatum esse dicas, sed rari et quales apud Shakespearium, Goethium, Schillerum quoque invenias.

Ut Equidem versus 461—66 ubi Paphlago insiciariusque scaenae exordio ternis versibus mutuas pronuntiant incusationes et Thesm. vv. 582—91 ubi Clisthenes postquam gravem quandam rem mulieribus se indicatum venire praefatus est decem versibus sic ordinatis cum choro colloquitur:

Ch. Cl. Ch. Cl. Ch. Cl.
2 2 1 2 1 2

In scaenae fine posita est, de qua Engerus nuper (in Iahnii annalibus 1865) disputavit responsio Acharnensium versibus 617—25 effecta, ubi unum Lamachi versum Dicaeopolidis unus, tres Lamachi Dicaeopolidis tres secuntur, similique aequabilitate primi Nubium inter

Phidippidem Strepsiademque colloquii ultima pars composita est (vv. 119—128), Strepsiade ternis versibus ad Phidippidis binos bis respondente. Quae autem hic est versuum structura, ea singulis quoque vocabulis illustratur, cum in prioribus quinque versibus particulae negativae, in alteris *ἀλλά* saepius repetatur.

In medio quoque tales responsiones inveniuntur colloquio, praesertim ubi res solennes solenni forma exprimendae erant. Cuius rei exempla extant in Pace (vv. 441—52) ubi chorus Trygaeusque quater ternis versibus exsecrantur, quicumque belli studiosus sit, atque in Lysistrata (vv. 195—208), ubi mulieribus ad sacramentum dicendum se praeparantibus ternos versus ab una pronuntiatos bis quaterni secuntur inter singulas distributi.

Denique in eadem fabula parva sex versuum est scaena (vv. 608—13), quorum tres a probulo tres a Lysistrata pronuntiantur.

Nolo plura exempla congerere, neque enim ex his aliud quidquam colligi posse puto, nisi Aristophanem sicut omnes omnium temporum poetas tragicos atque comicos versus saepe aequabiliter inter personas dispertivisse sed ad libitum id eum fecisse, neque in senariis iambicis ut tragicos Graecos maiores versuum complexus ad certas concinnitatis leges ordinasse.

Postquam in senariis iambicis personarum in sermone vicibus raro aequabilem versuum ordinem accommodatum esse vidimus, quaerendum est, quomodo in septenariis haec res se habeat, ubi elatiore sermone utatur poeta. Ad quam quaestionem ut respondeamus a Vespis exeundum est, ubi tria habemus, quae huc pertineant, diverbia. Quorum priora duo (vv. 346—57, 379—94) stropha iam quae prius et antistropha quae alterum praecedit arte inter se coniuncta chorum Philocleonemque quinquies

binis versibus inter se colloquentes habent, utrumque autem longiore Philocleonis oratione finitur, quae in priore e duobus septenariis septemque dimetrorum systemate, in altero e sex septenariis constat; in quo qui post v. 394 secuntur septenarii octo, eos aequabili structura propterea carere ne mireris, quod Bdelycleone Xanthiaque expergiscentibus Philocleonemque a fuga retinentibus tota huius diverbii indoles mutatur novaque paene cum novis personis incipit scaena.

Similis binorum versuum repetitio in Acharnensibus (vv. 303—34) invenitur, ubi carbonarii ira incensi Dicaeopolidem tam vehementer aggrediuntur, ut ab eo obsidis loco corbem carbonariam arripiente sedari vix possint. Quae scaena inter chori stropham antistrophamque posita ad hoc schema constructa esse videtur:

$$\begin{array}{lllll} & \text{Ch.D.} & \text{Ch. D. D.} & \text{Ch.D.} & \text{Ch.} \\ \text{Str.}\ 5 \times (2,\ 2); & & \underbrace{3 \times (\tfrac{1}{2} + \tfrac{1}{2}),\ 2}; & \underbrace{3,\ 2}; & 2;\ \text{Antistr.} \end{array}$$

Lysistratae vv. 350—66, qui mulierum senumque continent iurgia ad hanc figuram habes ordinatos:

$$\begin{array}{ccc} \text{M.} & \text{S. M.} & \text{S. M. S.} \\ 2, & 3 \times (2,\ 2), & 2 \times (1, 1), 2; \end{array}$$

qui autem secuntur duodecim e quattuor ternorum versuum constant particulis cum argumento tum forma inter se distinctis. Quarum in prima singulos habes versus a singulis choregis pronuntiatos utraque parte ex altera, cur arma secum ferat quaerente; in altera itemque in tertia, ubi singulis primum versibus, inde autem singulis hemistichiis alternant partes, ab utraque, cui ea usui destinaverit, declaratur; quarta denique ubi cum senibus tum mulieribus unum semper hemistichium pronuntiantibus citissima vehitur altercatio, eum finem habet, ut mulieres urnis instructae aquam senibus infundant. Habes igitur horum versuum hunc ordinem:

S. M. S. M. S. M.
$3 \times 1; 2 \times (1.1, \frac{1}{2} \cdot \frac{1}{2}); 3 \times (\frac{1}{2}, \frac{1}{2})$

Tertium Vesparum quod tali concinnitate numerorum ornatum esse dixi diverbium (vv. 648—724)[1], ubi Bdelycleo patrem, quibus incommodis Atheniensium res sub Cleonis imperio laborent, docet, ad hoc fere schema est constructum:

Chor. Bdel. Ph. Bd. Ph. Bd. Ph. Bd. Ph. Bd.
2; 14, 2, 14, 2, 14 2, 14; 2, 4 + 6 (syst.)

Quod enim prima Bdelycleonis oratio a Philocleone itemque huius duo versus ab illo breviter interrumpuntur (vv. 652—54, 665), eo concinnitas totius responsionis non turbatur, praesertim cum Philocleo solenne filii prooemium aegre ferens formam tantum orationis eius vituperet, de ipsa re ut postea semper sic nunc nullam ferat iudicium.

Similiter etsi non eadem aequabilitate ea Pacis scaena composita est, in qua Mercurius Trygaeo choroque, quibus de causis omnia praesentis temporis mala exorta sint, enarrat (vv. 601—56). Cuius oratio, cum post chori duos versus breveque trium versuum prooemium e quattuor novenorum versuum membris constet, quae εἶτα vel κᾆτα vocabulis omnia incipiunt, quorumque ultimum Trygaei verbis.

— παῦε παῦ' ὦ δέσποθ' Ἑρμῆ, μὴ λέγε
ἀλλ' ἔα τὸν ἄνδρ' ἐκεῖνον οὗπερ ἔστ' εἶναι κάτω.

absolvitur, bis, post primum scilicet atque alterum membrum binis Trygaei totidemque chori interrumpitur versibus.

Maiore cum arte eae quas nunc enumeraturus sum constructae sunt scaenae; inter quas ea primum, cuius Sauppius in epistola critica aequabilem demonstravit structuram commemoranda est, Equitum scilicet vv. 242—

1) Dele v. 712.

83[1]) sic inter Demosthenem, chorum, Paphlagonem, insiciarium distributi:

D. Ch. P. Ch. P. Ch. P. Ch. P. Ch. P. I. D.
5, 8, 3, 8, 3, 4; 1, 2, 1, 2, 2, 2, 2,

Lysistratae[2]) in qua mulieres cum senibus reconciliantur, scaena (1014—42) ad hos accommodata est numeros:

S. M. S. M. S. M. S. M. S. M. S. M.
2, 2, 2, 3, 2, 3, 3, 3, 2, 2, 3, 3.

In Pace quoque, ubi agricolorum chorus ut Pacem deam e specu in lucem protrahat a Trygaeo advocatus laetabundus apparet neque prae recuperatae felicitatis gaudio saltandi finem facere potest (vv. 299—338) haec concinnitas invenitur; hunc enim ibi habes numerorum ordinem:

T. Ch. T. Ch. T. Ch. T. Ch. Ch. T. Ch. T.
2, 8; 2, 2; 3, 2; 2 × (2, 2); 2 × (1, 1/2, 1/2, 1, 1), 3, 2
8 8

Quamquam numerorum hic potius quam distributionis aequabilitatem poeta sectatus esse videtur; bis enim ternos duo secuntur versus, sed priore loco Trygaei tres, chori duo sunt, altero illius duo, huius tres, itemque evidens quidem inter vv. 326—29 et 330—33 non solum numerorum sed etiam sententiarum et vocabulorum est responsio; sed cum in utroque membro tertius versus chori quartus Trygaei sit, primus in priore Trygaei in altero chori, secundi prius hemistichium in illo chori, in hoc Trygaei, alterum in illo Trygaei, in hoc chori est.

Dum in hoc diverbio numeri quidem sibi respondent, sed non eidem personae idem numerus semper assignatus

1) Ante v. 274 unus excidit.

2) Ante v. 1018 senum unus excidit.

est, alia ita ex parte sunt composita, ut versuum distributione omnino non curata solis sententiis distringuantur membra versuum numero sibi respondentia. Eiusmodi autem duo Equitum sunt scaenae, quarum in priore[1] (vv. 333—366) novem primum habes versus (333—41), dum insiciarius a choro instigatus Paphlagoque mutuis se in iram concitant conviciis atque minis; secuntur totidem (342—50), in quibus Paphlago ab adversario, dicendi arte fisum contradicere se illi professo, omnem abiudicat eloquentiam. Ceteri versus ad hoc schema compositi sunt:

Ins. P. I. D. (P. I. D.)
2, 3, 3; 2, 6 × 1.

Alterius quae huc pertinet Equitum scaenae (vv. 407—40) prima pars sic ordinata est:

Ch. P. F. P. F. Ch. I. Ch.
2; 2, 4, 2, 4; 2, 4; 2.

Excipiunt hoc sex versus (429—34), ubi vagis Paphlago minis insiciarium Demosthenemque frustra terrere studet hosque sex (435—40), ubi argento unus, alterum corruptum esse contendit.

Avium denique versus 352—385 ad hoc schema accommodati sunt:

$$\begin{array}{cccc} \text{Ch. E. P.} & \text{Ch. U.} & \text{Ch. U. Ch. U.} & \text{Ch. P. U. Ch.} \\ \underbrace{12;\quad}_{} & \underbrace{2,\ 3;}_{5} & \underbrace{2,\ 2,\ \ 2,\ 6,}_{12} & \underbrace{2,\ 3 \times 1}_{5} \end{array}$$

Ubi qui primo loco sunt versus duodecim Euelpidem habent Pisetaerumque ad repulsandas aves se praeparantes, quod certamen upupae interventu in sequentibus componitur.

Demonstravi his, ut potui, in tetrametris responsionis

1) Ante v. 337 unus excidit, v. 339 delendus est.

multo frequentiorem esse quam in trimetris usum. Quod si vero hic quoque maior earum numerus est scaenarum, quae aequabili carent structura, ea ipsa re luculentissime puto declarari, Aristophanem huic numerorum concinnitati studuisse, ubi ea decoris aliquid scaenae addi posse crederet; saepius autem eam non curasse. In fabulis post Lysistratam actis ad nos quidem talis responsio pervenit nulla.

In tragoedia saepe fit, ut orationes a pluribus constent partibus aequalibus, quod idem ne comoediam quidem aspernatum esse haec docent exempla:

Vesparum vv. 85—114[1]), ut iam Ribbeckius intellexit (cf. N. Mus. Helv. I, p. 137) Xanthiam habent decies ternis versibus domini morbum phileliasticum narrantem.

Similiter in Equitibus (vv. 40—57) Demosthenis, qua spectatoribus Cleonis facinora referuntur oratio ter senis incipit versibus, quorum prima pars de Demo, altera de Paphlagonis nuper empti adulatione, tertia de fraude agit, qua alienorum ille beneficiorum sibi conciliet gratiam.

In eadem[2]) fabula (vv. 624—682) insiciarius quomodo in suas senatum partes flexerit oratione exponit novem composita articulis. Quorum primi duo, ubi refert quid Cleo in curia effecerit quaeque ipse inde consilia ceperit (624—39) octonis continentur versibus, ceteri senis; neque id neglegendum est uniuscuiusque horum membrorum initium pronomine esse notatum (v. 632 *κἄγωγε*, 640 *κἀγώ*, 646 *τῶν δὲ*, 652 *ὁ δέ* 658 *κἄγωγε*, 664 *ὁ δέ* 670 *οἱ δέ* 676 *ἐγώ δέ*, septimum autem (664—69) nonumque (676—82) duabus ternorum versuum partibus constare, altera hic quoque pronomine incipiente (v. 667 *ὁ δέ*, 680 *οἱ δέ*).

---

1) V. 135 post 110 ponendus est.

2) Dele v. 679.

Eam quam in Lysistrata dum in scaenam prodit probulus habet orationem (vv. 387—98) unusquisque e tribus quaternorum versuum videt constare partibus, quas quatuor primum senum inde autem probuli denuo quatuor excipiunt versus (399—402. 403—6); cetera eius oratio aequabiliter non est composita.

In Thesmophoriazusis quinquies ternis versibus primae mulieris contra Euripidem incipit oratio (383—97), Mnesilochi [1]) autem inter mulieres oratio (vv. 466—519) quinariis proprie composita est membris; bis quinis enim versibus (466–475) exponit orator se Euripidem quam maxime quidem odisse, sed plura tamen a mulieribus mala fieri quam ille enuntiarit; cuius inde rei ne exemplum desit adulterium primum ter quinis versibus (476–490) narrat, ab ipsa, quam se fingit esse muliere commissum, tum vero eodem numero infantis suppositionem (502—516), qua alia fraudem marito fecerit, qua relata tribus versibus orationis finem facit.

1) Vv. 496—501 uncis includendi sunt.

CAPVT III.

Venio nunc ad eam, qua totae scaenae sibi respondeant, numerorum aequabilitatem de iisque primum dicam diverbiis, quae tetrametris composita sunt. Quae cum ab Hermanno, Reisigio, Engero, Helbigio paene omnia sint tractata, satis fore credo, si schemata tantum, quibus hae responsiones illorum meove iudicio accommodatae sint, indicaverim.

Avium vv. 481—625 sic ordinati sunt:

chori stropha
tetrametri anapaestici 63 (460—522)
systema (14 dimetri, 2 monometri) (523—38)
chori antistropha
tetrametri anapaestici 63 (548—610)
antisystema (14 dimetri, 2 monometri) (611—626)

Equitum [1]) vv. 303—460 sic:

chori stropha I
tetrametri trochaici 10 (312—21)
chori stropha II
tetrametri iambici 34 (333—366)
systema (15 dimetri, 1 monometri)
chori antistropha I
tetrametri trochaici 10 (388—96)
chori antistropha II
tetrametri iambici 34 (407—40)
systema (15 dimetri, 1 monometer)
tetrametri iambici 4 (457—60)

1) Cf. p. 6 sqq.

Lysistratae[1]) vv. 476 607 hoc ordine compositi sunt:

[tetrametri iambici 2]
stropha chori
tetrametri anapaestici 48 (484—531)
systema (dimetri 7, monometri 2)
tetrametri iambici 2 (539—40)
antistropha chori
tetrametri anapaestici 48 (449—597)
antisystema (dimitri 7, monometri 2)

Nubium vv. 950—1104 ea re a ceteris quos attuli scaenarum complexibus differunt, quod priore loco anapaestici, altero iambici sunt tetrametri, quodque quae eos secuntur systemata sibi non respondent; est autem hic eorum ordo:

chori stropha
tetrametri anapaestici 51 (959—1008)
systema (13 dimetri, 1 monometer)
chori antistropha
tetrametri iambici 51 (1034—84)
systema (4 tetrametri, 16 dimetri, 3 monometri)

His exemplis Vesparum, de quibus ante iam locutus sum, adiungendi sunt vv. 333—394 sic dispositi

chori Philocleonisque commus
tetrametri anapaestici 10 (346—55)
Philocleonis tetrametri 2, dimetri 7
antistropha
tetrametri anapaestici 10 (379—88)
Philocleonis tetrametri 6.

---

1) Cf. p. 13 sqq.

Ubi quod Philocleonis altera oratio priori non respondeat minime mirandum est; prior enim quae systemate finitur, plane perfecta altera Bdelycleonis Xanthiaeque interventu interrupta apparere debet.

Ad eas nunc, quae in senariis iambicis sint, responsiones transituro, ubi eae potissimum inveniantur, primum erit dicendum. Quam rem brevissime me expediturum puto, si dixerim, aut unius scaenae binas partes argumento seiunctas aut binas scaenas versuum numero inter se respondere, scaenam vero eam dico comoediae partem, quae a principio usque ad finem ab iisdem personis eodem agatur loco nullo interposito chori carmine. Quae definitio licet sit, ubi haud satis accurata videatur, cum in prima scaena persona abeat aut in extrema prodeat nova, in praesens tamen sufficiat, de iis enim quae repugnant, suo dicetur loco.

Atque primum de altero quod dixi, loquar responsionum genere, de eo scilicet, quo binae coniungantur scaenae, incipiamque ab iis scaenis, quae non ex ipso totius fabulae prodeunt argumento sed certae alicui rei variis exemplis inserviunt demonstrandae. Quae episodia[1] inde iam manifestum est responsionis sequi quandam legem, quod fere nunquam inveniuntur singula sed bina semper pluresve a poeta componuntur; ut in A c h a r n e n s i b u s ubi non unus ad Dicaeopolidem venit hospes sed primum Megarensis, tum Boeotus, non unus Atheniensis pacis

---

1) Eam enim huic vocabulo, de quo Meinekius in fragm. comicorum Graecorum, t. II p. 756 atque Godofredus Hermannus in diariis litterariis Ienensibus 1842, p. 505 egerunt, tribuo notionem, quacum Metagenes eo usus esse videtur, cum in Philothytes fabula scriberet

— κατ' ἐπεισόδιον μεταβάλλω τὸν λόγον ὡς ἂν
καιναῖσι παροψίσι καὶ πολλαῖς εὐωχήσω τὸ θέατρον.

guttam petiturus, sed primum agricola, tum novorum nuptorum legati. Qua de responsione nunc incipiam [1]), quia stropha quae priorem, antistropha quae alteram praecedit partem cum tetrametrorum responsionibus aliquid ei dat similitudinis. Habes enim ibi post commum inter chorum Dicaeopolidemque distributum scaenam undeviginti versuum (1018—36) in qua Dicaeopolis agricolae bobus a Lacedaemoniis privato exoptatam pacis guttam se daturum negat, post antistropham autem eiusdem numeri alteram (1047—66) inter Dicaeopolidem atque paranymphum pronubamque, cui is est finis, ut succus ille sponsae concedatur.

Vesparum vv. 1341—1481 [2]) sex constant, quibus Philocleonis ebrietas pingitur, scaenis: primum enim senex ille, quod e convivio surripuit scortum viginti tribus alloquitur versibus (1341—63) eodem inde numero altercatio inter patrem filiumque continetur (1364—86): quam scaenam quae excipiunt Philocleonis cum muliere panum venditrice cumque accusatore iurgia (1387—1414, 1415—1441) vicenis senis composita sunt versibus: sequitur octo versuum scaena (1442—49) in qua patrem filius domum ducit, ubi quid fecerit post carmen a choro cantatum octo versibus (1474—81) a Xanthia narratur.

Similiter ut Philocleonis hic lascivia, in primo Vesparum actu morbus eius heliasticus pingitur, quo agitatus omnia experitur, ut libertatem nactus iudicis munere fungi possit. Sunt enim a v. 136 usque ad v. 229 quatuor scaenae, quarum primum par (136—151, 152—167) senorum denorum, alterum (168—198, 199—229) tricenorum singulorum est versuum. Quarum inprima per fumariolum, quasi fumus sit, filium effugere studet senex, inde per

1) Dele v. 1064.

2) Dele vv. 1387, 1395, 1440.

portam perque retia quae domui circumtenta sunt, evadere nititur; quod cum non liceat, asini auxilio in tertia libertatem petit; in quarta denique, cum neque murem neque passerem agendo quidquam proficiat, desistit a vanis conatibus, ita ut Bdelycleo Xanthiasque quieti se dare possint.

Ranarum vv. 460—604[1]) tribus exemplis Bacchi ignaviam fortemque Xanthiae animum manifestum faciunt. Primum enim (460—68) quaerit ille duobus versibus, qui apud inferos mos sit ostia pulsandi ab hocque ut fortiter pulset, monetur. Quo facto auditoque Herculis nomine Aeacus procurrit ostiarus dirissimasque propter Cerberum olim raptum Baccho poenas minitatus Gorgonas abit Tithrasias arcessiturus. Cui quindecim versuum scaenae (464—78) ea respondet quae sequitur (479—93), in qua Bacchus a terrore se reficit, quem Aeacus ei incussit. Excipiunt hanc versus triginta octo (494—533), quos chori Bacchique systemata todidemque (549—89), quos antisystemata chori Xanthiaeque secuntur. Quarum scaenarum in priore Xanthias propter clavam leonisque quam Bacchus perterritus ei dederat, pellem pro Hercule habitus magno cum honore a Proserpinae ancillis ad coenam vocatur, in altera Bacchus Herculis insignia recipere ausus a copa, cui ratam ille quondam non solverat, atrocissimis terretur minis.

Ad earum nunc, quae huc pertineant Avium scaenarum accedo tractationem. Hic autem ante omnia quaerendum est, quamnam poeta regulam secutus sit, ubi prosam vel versus alieno metro scriptos trimetris immisceret. Etenim ea semper in his scaenis obtinet lex, ut quod prosa oratione scriptum sit, omnino non numeretur, eorum qui praeter trimetros κατὰ στίχον sese excipiant versuum

---

1) Dele vv. 519, 20. 67, 70, 74.

quot sint, tot numerentur, ceterorum quot una semper persona coniunctos pronuntiet pro uno numerentur. Itaque Avium vv. 923—30:

ἀλλά τις ὠκεῖα Μουσάων φάτις
οἵαπερ ἵππων ἀμαρυγά.
σὺ δὲ πάτερ κτίστορ Αἴτνας
ζαθέων ἱερῶν ὁμώνυμε
δὸς ἐμὶν ὅ τι περ
τεᾷ κεφαλᾷ θέλῃς
πρόφρων δόμεν ἐμὶν τεΐν

unius trimetri est loco itemque vv. 1410—12:

ὄρνιθές τινες οἵδ' οὐδὲν ἔχοντες πτεροποικίλοι
τανυσίπτερε ποικίλα χελιδοῖ

non plus valet versu 1415 *τανυσίπτερε ποικίλα μάλ' αὖθις*, sed vv. 1398—1400:

τοτὲ μὲν νοτίαν στείχων πρὸς ὁδόν,
τοτὲ δ' αὖ βορέᾳ σῶμα πελάζων
ἀλίμενον αἰθέρος αὔλακα τέμνων

hic quoque pro tribus numerantur. Interiectiones denique nullius sunt momenti.

Quam ad legem, si eam quae est inter Pisetaerum poetamque (vv. 903—57) scaenam examinamus, optime res quadrat. Habemus enim viginti semptem trimetros septemque locos lyricos, quibus in sequente Pisetaeri cum chresmologo scaena (958—991) triginta quatuor versus (viginti trimetri, quatuordecim hexametri dactylici) respondent. Pisetaeri inde cum Metone colloquium (992—1020) viginti novem constat versibus, quod autem sequitur cum episcopo atque plebiscitorum venditore (1021—57) viginti octo, prosa quater intermixta. Quas scaenas ita a poeta institutas esse ut responderent, satis certum mihi videtur, etsi nunc uno versu differunt, sed ego neque in priore parte delere versum neque in altera lacunam statuere ausim, quia unius responsionis causa textum mutare non licet.

Pisetaeri cum parricida cumque Cinesia scaenae triginta duorum versuum numero sibi respondent. Quarum illa (1337—71) unum tantum locum lyricum ceteros trimetros habet, haec autem (1372–1409), viginti quatuor trimetris, tribus dimetris anapaesticis, quinque locis lyricis continetur. — Post hanc quinquaginta quinque [1]) in Pisetaeri cum sycophanta colloquio trimetros, duos habes lyricos locos (1410—69), quod quae chori interposito systemate et antisystemate sequitur eiusdem cum Prometheo scaena [2]) quinquaginta septem continetur versibus (1494—1552), quos simile excipit chori systema. Quae responsio eo a ceteris quas tractavi differt, quod prima eius pars eorum unum est episodiorum, quibus diversa hominum genera irridentur in nova urbe lucri aliquid sibi quaerentium, in altera autem Prometheus quamvis initio multum cum illis habeat similitudinis, tamen, cum quid faciendum sit, Pisetaero suadeat, fabulae praeparat partem novissimam.

Longissima quae versuum numero sibi respondeant episodia, in Acharnensibus [3]) sunt, ubi Dicaeopolidis cum Megarensi colloquium (720—835) breviter tantum sycophantae interventu turbatum centum quatuordecim est versuum eodemque numero ea quae mox sequitur Dicaeopolidis, Boeoti, Nicomachi, pueri a Lamacho missi scaena (860—970) composita est non solum chori, Dicaeopolidis, Boeoti systemate et antesystemate quae ei intexta sunt distincta sed etiam quod post Boeoti decessum nova paene est Dicaeopolidis cum Lamachi famulo scaena. Cuius tamen si argumentum spectaveris, non miraberis arte eam cum

---

1) Dele v. 1416.

2) Dele v. 1542.

3) Dele vv. 722, 803, 905, 928.

antecedentibus coniunctam esse, quippe ubi de iisdem agatur cuppediis, quas Boeotus Dicaeopolidi modo vendidit.

Praemisi haec quae in episodiis invenirentur, responsionis exempla quo facilius duobus semper scaenis argumento cognatis numerorum quoque perciperetur congruentia; nunc ad eas venio scaenas, quibus non una aliqua res demonstratur, sed quae e totius fabulae consilio atque argumento necessario pendent vinculo. Qualia in Equitibus[1]) duo sunt centum quatuordecim versuum diverbia, ubi Demus ab insiciario, ut Paphlagonem amplius non ferat, permovetur: quorum in priore (997—1110) oraculis adversariorum alter alterum studet superare, in altero (1151—1262) donis Paphlagonem vincit insiciarius.

In Vespis[2]) postquam Bdelycleo patri melius fore persuasit, si heliaeam frequentare desineret, id tamen ille ab eo impetrat, ut domi proprium sibi liceat condere iudicium atque hunc ad finem omnem quo iudici opus est apparatum filii auxilio arcessit (760—862). Cui centum duorum versuum scaenae altera eodem respondet numero, in qua unus canis Philocleone iudice litem alteri intendit (891—994). Quo absoluto, quatuordecim habes versus (995—1008), dum Bdelycleo Philocleoque soli in conspectu spectatorum manent hicque illius levatur consolationibus iudiciorum loco pulcherrima convivia promittentis.

Thesmophoriazusarum prima inter Mnesilochum Euripidemque scaena (1—38) triginta octo constat versibus, itemque eorundem quae mox sequitur altera (63—100), famuli illa, haec ipsius Agathonis adventu finita.

1) Ante vv. 1037 et 1204 unus excidit versus.

2) Dele vv. 842, 903.

In Pace[1]) excipiunt se prima Trygaei cum Mercurio eiusdemque cum Polemo, Cydoemoque scaena (177—231, 232—288), quinquaginta quatuor utraque versibus composita. — Ibidem ea scaena in qua domum e coelo redit Trygaeus (819—55) eaque ubi senatui Theoriam tradit (868—909) quadraginta duobus inter se respondent versibus, si quidem recte quatuor Trygaei post Xanthiae (in v. 824) ὦ δέσποθ' ἥκεις; excidisse sumo; itidemque eae quae secuntur[2]) scaenae pari versuum numero coniunctae sunt, quarum in priore (922—38), quid Paci immoletur a choro Trygaeoque deliberatur, dum in altera (956—72) Trygaeus servusque quae ante ipsam victimae caedem sacra facere fas est exsecuntur.

In Nubibus cum Pasia primum (1214—58) quadraginta quatuor, inde cum Amynia (1260—1302) quadraginta tribus Strepsiades colloquitur versibus, neque dubium mihi est, quin harum scaenarum numeri plane olim inter se congruerint, facillime enim in Nubibus fieri potuit, ut ab ipso poeta fabulam retractante unus versus deleretur.

Nubium ultimae duae quas qui sextum scripsit argumentum ex posteriore recensione adiectas esse tradit, scaenae, senorum denorum versuum habent responsionem, cum in priore parte (1476—92) Strepsiades Socratis se domum incensurum indicet, in altera (1493—1510) neque discipulorum neque ipsius Socratis atque Chaerephontis clamore, quominus id faciat impediatur.

Duae in Lysistrata sunt tricenorum quaternorum versuum scaenae in quibus Athenienses Lacedaemoniique conveniunt, antequam Lysistratae opera pax inter eos conficitur. Quarum prior (980—1013) probulum Sparta-

1) dele vv. 217, 18 (ἐξαπατώμεθα — μὰ Δί), 240, 41, 73.

2) ante v. 960 unus excidit versus, v. 964 fortasse delendus est.

norumque praeconem habet colloquentes, altera (1074—1107) chori, legatorum Lacedaemoniorum civiumque Atheniensium continet colloquium.

Satis multa denique sunt diverbia, quorum binae partes aequabilibus sibi numeris respondent. Qualis ea in Pace est scaena, in qua cum Trygaeo dea reconciliatur, ubi in prima triginta sex versuum parte (657—92), qui rei publicae status sit, per Mercurium e Trygaeo Pax quaerit, in altera (693—728) postquam amicos suos Sophoclem atque Cratinum perire audivit Oporam ei tradit atque Theoriam, quibuscum domum redeat.

Eiusdem fabulae vv. 1063—1114 hexametri, quos duodecim antecedunt, viginti quatuor secuntur trimetri, duabus constant partibus vicenorum senorum versuum. Quarum in priore (1063—87) Hierocles Bacidis oraculo instructus Trygaeum Paci immolare vetat, in altera ipse Trygaeus Homeri oraculo iuste se id facere demonstrat (1088—1114).

In Avibus duae deorum ad Pisetaerum sunt legationes, Iride primum, inde Hercule, Neptuno, Triballo Nephelococcygiae regem adeuntibus. Et versus 1196—1261 quidem ubi cum Iride ei res est, duabus tricenorum ternorum continentur partibus, cum in priore (1196—1228) de iure tantum agatur, quo Nephelococcygiam Iris intraverit, in altera (1229—61) quamnam ad rem perpetrandam a Iove missa sit, quaeratur; — Neptuni autem ceterorumque cum Pisetaero colloquium, quod novem antecedunt, ubi de Triballo inter Olympios deos agitur, versus (1565—73) duabus quinquagenorum septenorum partibus constat, quarum in priore (1574—1630) Iovis sceptrum, in altera (1631—93) Basilia Pisetaero, si pacem faciat, a legatis promittitur.

In Ranarum versibus 738—813 colloquium primum habes sedecim versuum (738—53), in quo Xanthias

Aeacusque amicitiam iungunt secuntur triginta, ubi hic illum docet, quid inter Aeschylum Euripidemque acciderit (754—83), totidemque (784—813) quibus, quid nunc futurum sit, declaratur.

Mesodice ea Ranarum scaena composita est, in qua Aeschyli prologos Euripides huiusque ille cavillatur. Quinquaginta enim, ubi Aeschylum Euripides aggreditur versus [1]) (1119—76) viginti unus ubi Euripideae Antigonae prologus irridetur secuntur versus (1177—97), hos autem quinquaginta denuo (1198—1247) ubi verbis *ληκύθιον ἀπώλεσεν* magna Euripideorum prologorum pars ludibrio vertitur.

Thesmophoriazusarum vv. 575—654 tribus constant partibus, quarum in prima (575—596), quae viginti duorum est versuum, mulieribus Clisthenes, Mnesilochum inter eas latere narrat; qui dum quaeritur (597—625) atque convincitur (626—654) viceni noni sunt versus.

Quae in Ecclesiazusis est Chremetis de populi comitiis narratio (376—477) quinquaginta unum primum habet versus (376—426) quibus, qualia haec comitia fuerint quaeque Neoclides atque Euaeon ibi dixerint, refertur, inde autem totidem qui secuntur, versibus (426—77), quid e pulchri cuiusdam iuvenis rogatione populo placuerit narratur.

Tales quoque extant responsiones, quales partim unius scaenae diversis efficiuntur partibus, partim diversarum sunt scaenarum. Quarum una in Vespis est versuum 1122—1325, ubi quinquaginta duobus primum versibus (1122—73) id continetur colloquium, quod Bdelycleo cum patri habet, dum novis eum induit vestibus, secuntur hos triginta quatuor versus (1174—1207) in quibus hunc ille docet, quid loquendum ei sit in convivio, hosque

---

1) Dele vv. 1120—22, 32—36.

quinquaginta denuo duo (1208—64), ubi de scoliis agitur, quae ibi canantur [1]; qui autem in medio sunt versus triginta quatuor, iis pari numero ea quae sequitur respondet scaena (1292—1325) ubi Xanthias quid in convivio Philocleo fecerit, choro refert, ita ut hos habeas numeros: 52, 34, 52 — chori carmen 34.

Pluti vv. 1097—1170 duabus tricenorum septenorum versuum partibus constant, quarum in priore tristem Mercurius deorum sortem deplorat (1097—1133), in altera (1134—70) Carionis pro se invocat atque nanciscitur auxilium; huic autem scaenae proxima quae inter Chremylum, sacerdotem, anum est (1171—1207) tricenis septenis versibus respondet [2]).

In eadem fabula Carionis cum iusto homine scaena (802—49), eiusque ubi cum sycophanta colloquitur pars prior (850—97) quadragenorum octonorum versuum continent numerum; — quae enim post v. 897 secuntur ubi sycophanta artem suam defendere conatur eiusque rei poenas dat argumento ab ante cedentibus secreta sunt.

Huc Equitum quoque Vesparumque pertinent prologi. Quorum ille [3]) duabus tricenorum quinorum duabusque octogenorum ternorum scaenis constat; uterque enim primum ibi servus de Paphlagone nuper empto queritur (1—35); tum Demosthenes spectatoribus quomodo in Demi domo res se habeant, exponit, sequitur scaena (71—154), ubi oraculi instinctu insiciarius arcessitur, qui quid faciendum sit a Demosthene inde (145—245) docetur.

1) vv. 1245—1247 *χρήματα καὶ βίον*
Κλειταγόρᾳ τε κἀ-
μοὶ μετὰ Θετταλῶν
pro tribus numerandi sunt, quia eadem metra ter ibi repetuntur.

2) Ultimi chori versus tetrametri, qui in Nubium fine ceteris adnumerantur hic cum praecedente scaena non coniuncti sunt.

3) Dele vv. 114, 215, 19, 27, 28.

Minus concinne Vesparum[1]) prologus compositus cuius primam quinquaginta trium versuum scaenam quae Xanthiae Sosiaeque continet colloquium, Xanthiae excipit oratio de Philocleone, quae post triginta versuum prooemium (54—84) totidem de senis moribus agit versibus (85—104), inde autem quibus rationibus frustra sanare eum filius quaesierit refert (115—35). Quos numeros si cum iis quae secuntur supra a me tractatis compones, hunc habebis ordinem:

$$53, 30, 30, \underbrace{21, 16, 16}_{53}, 31, 31$$

Nonnullis locis ita poeta instituit responsionem, ut duarum scaenarum numero sibi respondentium una aequabilibus contineretur partibus.

Ut in Vespis ubi altera scaenarum centum duobus versibus compositarum ita denuo divisa est, ut quinquaginta uno versibus (891—943) Labes canis accusetur totidemque (944—94) defendatur atque absolvatur.

In Avibus quoque Pisetaeri cum poeta scaena quae ei in qua cum chresmologo colloquitur respondet, duabus denarum septenarum constat partibus, quarum in priore (903—30) Nephelococcygia a poeta canitur, dum in altera de vatis mercede agitur.

In Equitibus prior centum quatuordecim versuum scaena ita composita est ut in primis quatuordecim versibus (997—994) sua uterque adversarius oracula Demo venditet in octoginta sex inde, qui secuntur (1011—95) in medium ea proferat, donec ultimis quatuordecim versibus (1096—1110), quae sequitur, praeparatur scaena. Haec autem duabus quinquagenorum septenorum versuum partibus continetur, quarum in priore (1151—1206) donis adversarii

---

1) Dele v. 77.

Demi gratiam sibi conciliare student, dum in altera manifeste senex in insiciarii partes cedit (1207—1262).

Bacchi in Ranis cum copa Plathanaque scaena bis novenis denis versibus constat, cum in priore parte (549—568) Herculis facinora ab iratis mulierculis enarrentur, in altera (569—89) dirissimis minis ita Bacchus terreatur, ut Herculis insignia Xanthiae det.

Atque hoc loco monendum mihi videtur, saepissime eos sibi numeros respondere, quos undeviginti dividere licet. Iam enim in Acharnensibus (719—1142) hos habes numeros:

114, 4 St., 114 St. Antistr. 8, Str. 19, A. 19, 76 [1].

114 114

In Equitibus 979—1262) hos: 14, 86, 14 Str. A. 57, 57

Str. A. in Avibus (1410—1693) hos:

57 Str. A. I 57 A. II, 9, 57, 57 A. III

In Thesmophoriazusis (1—100) hos: 38 Syst. 38

In Ranis 494—604) hos: 38 St. As. I. 38 As. II. III.

Nunc, postquam ad finem pervenimus, id tantum mihi dicendum est, responsionis multo frequentiorem usum esse in Avibus fabulisque ante eas ab Aristophane doctis quam in posterioribus. Cuius rei quae fuerit causa nequibit dici antequam de responsionis in universum causa certi aliquid cognoverimus. Quod cum non liceat, hoc unum monendum mihi videtur, plane similiter in tragoedia quoque Euripidea responsionis usum paullatim evanuisse (cf. Hirzel: De Euripidis in diverbiis componendis arte p. 94).

1) Septuaginta sex versibus Dicaeopolidiis cum Lamacho ad bellum proficiscente continetur scaena.

Ioannes Iacobus Oeri de vita sua.

Natus sum Lauseni in agri Basiliensis vico a. d. VIII Kal. Iul. anni huius saeculi XXXXIIII patre Ioanne Iacobo Oeri, qui sacro ibi fungitur ministerio, matre Maria Ludovica de gente Burckhardt, quibus utrisque summopere gaudeo vivis. Primordiis litterarum a parte imbutus anno LIII gymnasium adii Basiliense, quod tunc Rudolfo Burckhardto florebat rectore. Ubi postquam Rothi Fechterique praesertim egregia disciplina litterarum amor in me natus est, eiusdem urbis inde ab anno LVIIII frequentavi paedagogium, ibique Burckhardto, Gerlachio, Muellero, Ribbeckio, Vischero, Wackernagelio aliisque praestantissimis usus sum praeceptoribus. Aestate anni LXII academiae Basiliensis civibus ascriptus, per duos annos docentes audivi viros clarissimos Bernoulli, Burckhardt, Gerlach, Kiessling, Picchioni, Ribbeck, Wackernagel, Vischer. Praeterea contigit mihi Gerlachi, Ribbecki, in cuius locum Kiesslingius postea successit, Vischerique benevolentia, ut seminarii philologici per tria semestria sodalis essem ordinarius. Basilia inde relicta Bonnam me contuli ibique per ter sex menses scholas frequentavi Iahnii, Ritscheli, Schaeferi, Springeri, Wachsmuthi. E quibus Iahnius in societatem archaeologicam, Schaeferus in historicam, Springerus autem in eam me recepit, ubi recentioris artis monumenta enarrat. Quibus nunc ut omnibus studiorum meorum fautoribus gratias ago quam maximas.

Sententiae controversae.

I. *Aristophanis Vesp. v. 427 sic scribendum puto:* εἰ δὲ μὴ τοῦτον μεθήσεις ἕν τι σοι ῥαγήσεται.

II. *Lysistr.* vv. *323—325 pro* περιφυσήτω
ὑπό τε νόμων ἀργαλέων
ὑπό τε γερόντων ὀλέθρων
scribendum est: περιφυσήτω
ὑπό τ' ἀνέμων ἀργαλέων κτα.

III. *Liv. I, 36, 4 conicio: 'agedum', inquit, 'divinitus inaugura, fierine possit, quod nunc ego mente concipio'.*

IV. *Liv. II, 47, 4 'simul et rarior iam erat hostium acies' scribendum mihi videtur.*

V. *Propert. I, 6, 24 scribas:*
Et tibi non unquam nostros puer iste labores
Adferat et lacrimis oscula nota meis

VI. *Aristoteles in arte poetica 15, 8 scripsit:* οὕτω τὸν ποιητὴν μιμούμενον καὶ ὀργίλους καὶ βαρυθύμους καὶ τἄλλα τὰ τοιαῦτα ἔχοντας ἐπὶ τῶν ἠθῶν τοιούτους ὄντας ἐπιεικοῦς ποιεῖν παράδειγμα σκληρότητος δεῖ, οἷον τὸν Ἀχιλλέα Ἀγάθων καὶ Ὅμηρος.

VII. *Idem in poetices, quod perditum est, de comoedia capite comicorum poetarum tractavit responsiones.*
